

D. D.
DISSERTATIO GRADUALIS
DE

ספר
ספר

JOB. CAP. XXXIII: v. 23,

QUAM,

Consent. Amplif. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

MAXIME REVERENDO & CELEBERRIMO VIRO

**D. N. CAROLO ABRAH.
CLEWBERG,**

L. L. O. O. Et GRÆC. PROFESS. REG. ET ORD.

NEC NON

FACULT. PHIL. H. T. DEC. MAX. SPECT.

Publica bonorum censure modeste subjicit

PETRUS HELSTENIUS,

WESTER-GOTHUS

In Audit. Min. D. XXV. Junii Anni MDCCLVII.

H. A. M. S.

ABOË, Imprebit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland, JACOB MERCKELL,

Sacrae. REGIÆ. MAJESTATIS.
SUMMÆ. FIDEI. VIRO.
Regis. Regnique. Svethiæ. SENATORI.
Regiæ. Cancellariæ. PRÆSIDI.
Ordinum. Regionum. EQUI TI.
Ac. COMMENDATORI.
Illustrissimo. Excellentissimoque.
LIBERO. BARONI. ac. HEROI.
D^N. ANDRÆ. JOH.
Von. **HÖPKEN.**
MÆCENATI. GRATIOSISSIMO.



Qui.
Fulgido. Virtutum. Jubare.
Rarissimæ. Prudentiæ. Fama.
Et.
Amplissima. Rerum. Gestarum. Magnitudine.
In. Excelsis. Honorum. Fastigio.
Coruscat. Et. Explendescit.
Qui.
Munus. Maxime. Arduum.
Communibus. Viribus. Longe Superius.
Ac.
Ingentibus. Heroum. Animis. Solummodo. Par.
Instar. Atlantis. Firmiter. Sustinet.
Tantoque. adplausu. exsequitur.

Ut,

Sacrae. REGIÆ. MAJESTATIS.

SUMMÆ. FIDEI. VIRO.
Regis. Regniq̄ue. Svethiæ. SENATORI.

Supremo. Aulæ. MARESCHALLO.
Regiæ. Cancellariæ. CONSILIARIO.

Ordinum. Regionum. EQUITI.
Ac. COMMENDATORI.

Illustrissimo. Et. Excellentissimo.
COMITI. ac. HEROI.

D_N. CLAUDIO.
EKEBLAD.

MÆCENATI. GRATIOSISSIMO.

Quem.

Charites. Ab. Iphis. Cunis. Foverunt.

Cujus.

Fasces.

Ineunte. Adolescentia. Gestas.

Musa. Aurica. Prolixe. Veneratæ.

Et. Etiamnum.

Post. Triginta. Duos. Annos. Quotidie. Celebrant.

Qui.

Immensa. Actionum. Amplitudine.

Mira. Mansuetudine.

Benefico. In. Omnes. Bonos. Adfectu.

Et.

Omnis. Generis. Virtutum. Vere. Heroicarum. Palmis.

Sum.

Ut.

Tullii. Et. Maronis. Eloquentia. Satis. haberet.

Si. In. Meritis. EJUS. Prædicandis.

Partes. Suas. Foret. Tuitura.

Ne. Dicam. Exornatura.

Quem.

Patria. Ut. Benignum. Sidus. Suspicit.

Exteri. Ut. Novum. Phœnicem. Admirantur.

Musæque. Ut. Suum. Apollinem. Canunt. Et. Celebrant.

Hunc.

Summum. Litterarum. Patronum.

Tanquam. Auspicatissimam. Pharon.

Meæ. Etiam. Tenuiores. Musæ.

Ambiguis. Fortunæ. Fluctibus. A. Pueritia. Jactatæ.

Inter. Debita. Submissæ. Venerationis. Obsequia.

Respiciunt. Ac. Intuentur.

Supplices. Orantes.

Ut.

Hanc. Exigui. Momenti. Lucubratiunculam.

Ea. Vultus. Hilaritate. Illustret.

Qua.

Patrem. Carissimum. Dum. Viveret.

Benigne. Amplecti. Haud. Est. Deditatus.

Utque. Particulam. Prolixæ. Hujus. Gratia.

In. Se. Derivatam. Jubeat.

Quæ. Ex. Intimis. Cordis. Penetralibus. Vovent.

Ut.

PRO. FIDE. LEGE. REGE:

Excubias. Quam. Diutissime. Agat.

ILLUSTRISSIMÆ. EXCELLENTIÆ. TUÆ.

Subjectissimus cliens

PETRUS HELSTENIUS.

Summum. Honorum. Culmen. Conscendit.
Ubi.

Instar. Splendidissimi. Solis.
Planetis. Horumque. Satellitibus.

Lumen. Calorem. Ac. Vigorem. Largientis.
Patriam. Dulcissimam. Illustrat.
Singulisque. Civibus. Tot. Commoda. Addit.
Quot. Boni. Expetunt. Mali. Invident.

Quem. Propterea.
Præfens. Seculum. Impense. Colit.
Et. Felicior. Posteritas. Jugiter. Admirari. Gaudebit.
Huic.

Patriæ. Achilli. Et. Scientiarum. Mæcenati.
Exiles. Has. Pagellas.
Humilis. Mea. Camæna. Offert. Et. Consecrat.
In. Pignus. Devotissimæ. Venerationis.
Qua. Ingentia. In. Paternam. Domum. Cumulata. Beneficia.
Semper. Agnoscet. Et. Submisse. Colet.
Hujusque.

Deciduis. Gratia. Radiis.
Quos. Sibi. Cernua. Implorat.
Tacta. Et. Recreata.
Precari. Non. Intermittet.
Ut.

In. Summa.
Qua. Omnium. Judicio. Dignissimus. Est.
Felicitate.

Per. Longam. Annorum. Seriem.
DEO. Et. PATRIÆ.
Vivat. Ac. Vigeat.

ILLUSTRISSIMÆ, EXCELLENTIÆ, TUÆ.

Subjectissimus cliens

PETRUS HELSTENIUS,

Stæ R:æ M:tis
MAGNÆ FIDEI VIRO,
Reverendissimo PAIRI ac DOMINO,
D^N. ENGELBERTO
L. HALENIO,

S. S. Theol. DOCTORI consummatissimo, Diœceſeos
Scarenſis EPISCOPO Eminentissimo, Ven. Conſistor.
PRÆSIDI Gravissimo, Regii ibidem Gymnaſii Scho-
larumque EPHORO Adcuratiſſimo,
MÆCENATI MAXIMO.

Inter fulcra, quibus poſt DEum, mortalium ſors iunixa
maxime floret, non certe ultimum locum ſibi vindic-
cat magnorum virorum patrocinium ac favor, quibus
fortunas noſtras tuto commendare queamus. In Te, Reve-
rendiſſime PRÆSUL, talem diu jam mihi venerari licuit
PATRONUM, Cujus merita in Rempublicam, in Eccleſiam,
in Litteras, earumq; cultores ſumma, omnium celebrantur
ore. Ne audacia itaq; mee, ſed magnitudini Tux, Mæcenas
optime, in me gratiæ adſcribas, humillimus oro, quod li-
mato ac exquisito Tuo judicio tenuem hanc diſſertationem
ſubmittere ſuſtinerim. Patiaris eam, incomtam licet, ve-
nerabundæ gratiſſimæque mentis qualemcunque agere in-
terpretem, meque favoris Tui aura, quam ſupplex mihi
adprecor, recreare haud graveris. Mihi nihil prius, ni-
hil antiquius erit, quam ex intimo peſtore vovete, digne-
tur ſummum Numen Te, Mæcenas optime, ſoſpitem &
incolumem in omnium bonorum gaudium ac præſidium
quam diutiſſime conſervare. Sic vovet

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

Devotiſſimus cliens,

PETRUS HELSTENIUS.

Maxime Reverendo atque Amplissimo,


**D_{N.} DOCT. LAURENT.
NORING,**

S:æ R:æ M:ti a Sacris SUPREMO, Theol. in illustri
Gymnaf. Scar. LECTORI dignissimo, Consist. AD-
SESSORI æquissimo, PASTORI in Göchened & adja-
centis Districtus PRÆPOSITO longe meritissimo,
PATRONO MAXIMO.

P*rolixæ Tuæ, Maxime Reverende D:ne Doctor be-
nevolentia; qua me ad Academiam Upsaliensem nu-
per accedentem, & sapissime postmodum, amplecti haud
es dedignatus, dulcis dum succurrit memoria, impetu in-
genue pietatis, qua Te, Patrone Optime; per plures annos
tacite colui, eam jam publice significandi abripior. Le-
tabundus autem ut hanc excepi ansam, venerationem me-
am in Te testificandi maximam; anxium simul me habet
ingenii mei tenuitas, quod tenerrimum devoti pectoris af-
fectum rite exprimere nequeat. Si laudes atq; merita Tua,
Max. Rev. D:ne Doctor, vilis mea Minerva adum-
brare tentaret, tanta se obrutam animadverteret dicen-
dorum copia, ut ea recensere frustra periclitaretur. Ac-
cipias vero, enixe rogo, hanc qualemcunque opellam, con-
nata Tibi facilitate, in certissimum animi gratissimi pa-
riter ac devotissimi pignus, measque spes Tibi in poste-
rum habeas quam maxime commendatas. Calidissima pro
Tua Amplissimaque Familia Tuæ perenni prosperitate ad
Deum O. M. mittere suspiria nunquam intermissurus*

Maxime Reverendi atque Amplissimi
NOMINIS TUI

Cultor maxime devotus
PETRUS HELSTENIUS.



I. N. J.

PROOEMIUM.

REcte docent scriptores artis Hermeneuticae, tribus veluti gradibus ad verum sensum cuiuslibet oraculi perveniri, nimirum adcurata pensitatione verborum tam ratione λέξεως quam Φράσεως, sollicita investigatione scopi generalis & specialis, quem spiritus divinus hic & nunc intendit, & sedula collatione antecedentium & consequentium. Utinam vero omnes, qui divinas litteras tractant, tam salutare monitum rite sequi vellent, nec multi eas in maximum detrimentum veritatis salutiferæ, eo sæpe intorquerent, quo cujusque præconceptæ opiniones ferrent. Nuspiam autem, proh dolor! frequentiores committunt hallucinationes, quam in iis locis, quæ agunt de Christo totius Scripturæ centro & nucleo. Dici vero non potest, quantum hoc obsit rei Christianæ, cui tamen maximopere prodesset, si hujus generis oracula præ ceteris rite indagarentur & recte vindicarentur. In duas præcipue vias a recto scopo aberrare hic video Interpretes

pretes. Alii sinistrorsum abeunt cum Grotio *a*) qui in toto volumine veteris fœderis tria tantum loca agnoscit, quæ de adventu Messæ directa contineant vaticinia. Alii dextrorsum deflectunt cum Coccejo, *b*) qui tam acute videt, ut Christum animadvertat in illis etiam locis, ubi nemo homo eum certo invenire poterit. Nos memores vulgati sermone proverbii: medium tenere beati, utrumque extremorum studiose fugiendum judicamus, probe tenendo utramque explicandi rationem a tramite veritatis abducere. Nam qui Grotianam æmulantur audaciam, & optimo Salvatori ea abjudicant loca, in quibus ipsius character hæud obscuris criteriis dignoscitur, scripturam innumeris privant flosculis, qui piis animabus solatia præbent svavissima, idque sua temeritate efficiunt, ut hæ paulatim cibum fastidiant & tandem inedia langvescant. Nam, docente Augustino, *c*) *non sapit vetus Scriptura, si non Christus in ea intelligatur.* Qui Coccejianam sequuntur imprudentiam omnia V. T. dicta promiscue ad Christum referendo, veritatem nolint velint labefactant, & hostibus fidei nostræ nova arma, quibus eam jugulent, suppeditant.

A

a) Vid. Cel. Ramb. instit. Herm. p. m. 151. fqq. Eiusdemque Exercitat. herm. p. m. 442. & ab illo citat. Camp. Vitring. in præf. ad T. I. Comm. in Esa. *b*) unde celebratum illud quorundam iudicium; GROTIUM *nusquam in Sacris Litteris invenire Christum: Coccejum autem ubique.* Confr. v. Jo. Franc. Budd. Hagog. in Theol. Lib. II. c. VIII. p. m. 1508. ubi quid in Coccejo laudandum sit, quid culpandum explicat. *c*) Tract. IX. in Joannem.

peditant. Vere enim Iſidorus a): τὰ γὰρ μὴ εἰς αὐτὸν εἰρημένα ἐκβιαζόμενοι καὶ τὰ ἀβιάσως εἰρημένα ὑποπτεύεσθαι παραπνεύματα. Hujusmodi meditationes nobis anſam præbuerunt evolvendi ea loca ſcripturæ, quæ ab aliis credita ad Chriſtum ſpectare, ab aliis vero diverſum reſpicere ſubjectum viſa ſunt. Inter hæc ſe nobis obtulit dictum Elihui de *Angelo interceſſore*, cujus mentionem fecit, in ſuo cum Jobo diſcurſu, qui Lib. Job. Cap. XXXIII. comm. 23, deſcribitur. Hic locus multis viſus eſt ambiguus, unde factum, ut alii hanc, alii aliam ejus expoſitionem tradiderint. Alii per Angelum interceſſorem intellexerunt Doctorem hominem, alii angelum creatum, alii ipſum Chriſtum. Non diffitemur, quin voces ſeorſim conſideratæ, de omnibus hiſ ſubjectis prædicari poſſint, re autem curatius penſitata, & adhibitis, quas initio adduximus, regulis, deprehendimus, hunc locum haud obſcura proderet indicia, unde diſcere poſſimus, quod revera agat de optimo Salvatore, qui in aliis Scripturæ locis talia gerit prædicata. Hinc alterum edituri Specimen Academicum, nullum dignius invenimus argumentum, quam hoc ipſum dictum, cujus interpretationem Tecum, L. B. jam modeſte communicamus, qua decet obſervantia rogantes, ut ingenuum conatum benigna perſtringas cenſura.

§. I.

VERBA Elihui, quæ ſcopum noſtrum præcipue feriunt, ita habent, in textu originali: שֵׁשׁ-עָשָׂר
עָלַי מְלַאךְ מְלִיץ אֶחָד מִבְּנֵי-אֱלֹהִים לְהַגִּיד יִשְׂרָאֵל De
ſentū

a) In libr. II. Epist. 195. p. m. 215.

sensu horum verborum in varias sententias abire viros doctos modo monuimus. Nostri jam officii erit inquirere, cuinam earum faveat veritas. Dicimus itaque, eos optime calculos subduxisse, qui Messiam in his verbis quæri debere judicarunt. Et quoniam veritas non est nisi una, facile patet, adstructa hac sententia, reliquas contrarias, quotquot sunt, una opera refelli atque explodi. Ipsa vero argumenta, quibus hic uti necesse habemus, varii sunt generis. Alia possibilitatem, alia probabilitatem, alia denique certitudinem propositionis, quam defendimus, demonstrant. Singula itaque suo adferemus ordine, ne confusio obnoxiam reddamus disquisitionem. Primum igitur primi ordinis argumenta producemus. Possibilis est enunciatio, inter cujus subjectum & prædicatum nulla adest pugna. Age igitur videamus, utrum prædicata, quæ in hoc loco tradita atque descripta leguntur, nullam involvant pugnam, si ad optimum Salvatorem applicentur. Hæc inter primum locum occupat nomen מַלְאָכִים, cujus radix מַלְאָךְ inter reliquias Lingvæ Sanctæ, quas Sacer Codex conservavit, amplius non reperitur: superest vero in filia Lingvæ Hebrææ dialecto Æthiopica, & quidem in significatione mittendi. מַלְאָכִים igitur vi originis *missum* valet, seu eam denotat personam, quæ ab aliquo ad aliquid nunciandum vel peragendum mittitur, & vi usus apud veteres Hebræos, designat generatim legatum, nuncium, Oratorem, & speciatim nunc hominem, nunc Angelum, nunc Messiam. Non igitur naturæ aut personæ, sed muneris & fun-

Sionis nomen est, ut recte observat Cl. Michaëlis *a*). Quod autem non gratis dixerimus, Messiam hoc prædicatum gerere in Scripturis, id jam selectis quibusdam exemplis probasse juvabit. Dicitur autem simpliciter מלאך angelus, Exod. XXIII. 20. XXXII. 34. XXXIII. 2. coll. Deut. XXXI. 3. Hos. XII. 4, 5. מלאך יהוה Gen. XVI. 7. XXII. 11. Exod. III. 2. Zach. III. 1. sq. Quod vero, in his & similibus locis Scripturæ, non alius intelligatur Angelus, quam ipse Filius DEI, qui verus DEUS est, id abunde pater ex attributione aliorum prædicatorum, quæ in Angelum creatum non cadunt, utpote sunt, nomen Jehovah in casu recto, attributa divina & cultus religiosus, in primis vero notabilis est locus Mal. III. 1. ubi Messias vocatur מלאך הברית, quia DEUS ipsum missurus erat, ad erigendum fœdus gratiæ cum hominibus. Vid. Gal. IV. 4. ὅτι δὲ ἦλθε τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ κ. τ. λ. unde & in N, T. diferte vocatur Ἀπόστολος Legatus Ebr. III. 1. Officium hujus divini legati describitur Matth. V. 17. Rom. VIII. 3. Joh. I. 18. Ebr. II. 12. Quis itaque neget fieri posse, ut voce מלאך intelligatur etjam hoc loco Salvator optimus.

§. II.

Pergimus ad singulare epitheton, quod in textu nostro illustrem hanc personam signat. Dicitur vero מליך a verbo מלך, quod præter alia significat ignota

a) in Comment. S. in Job. & ad h. 1.

ignota & arcana revelare, scite & clare eloqui, interpretari. Hoc igitur nomine denotatur *interpretas*, qui alteri ignota alterius verba explicat, *Orator*, qui scite & apte loquitur, ad assensum & affectum movendam auditoribus, *mediator*, qui inter duo intervenit, aliquid cognoscendi vel contrahendi gratia, *Advocatus* seu *intercessor*, qui pro cliente apud Patrum deprecatur, & illius causam apud hunc diserte perorat, docente Maimonide, Ebraeorum doctissimo. a) Hinc סליצא scita, apta & assensui atque ad affectum movendo adcommodata oratio. Hæc omnia prædicata in Christum Salvatorem & Salvatorem nostrum in secula benedictum aptissime quadrant. Is enim est DEI apud nos interpretas, qui nobis *ἐξυψίστου* voluntatem DEI invisibilis *benignam & gratuitam* Joh. I. 18. idque tam *verbis quam factis*. *Verbis*, dum eam in Evangelio aperuit ac patefecit Joh. III. 16. XVI. 39. 40. *Factis*, dum, ut homines redimeret, pro iis passus & mortuus est. b) Is est orator eloquentissimus, qui concionatus est, *ὡς ἐξουσίαν ἔχων* Matth. VII. 29. i. e. *Suo nomine & auctoritate credenda pariter atque agenda proponens, hominumque animos obligans & movens, ad assensum & obsequium præbendum.* c) Is est *ἡσίου ὁσίου καὶ ἀνθρώπων* I. Tim. II. 5. *diuturnus réas uestius*, cuius sanguis meliora loquitur quam Abelis Ebr. XII: 24. Is est noster *πρωτόκλητος* πρὸς τὸ πατήρ I. Joh. II: 1. Is est noster intercessor,

A 3 qui

a) Cfr. Calov. Bibl. illustr. ad h. l. b) Vid. Stock. in Notis ad Nov. Test. & h. l. c) Verba sunt Stockii in Notis ad nov. T. & h. l.

qui pro nobis deprecatur apud Patrem *ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ*
 Rom. VIII. 34. Ebr. VII. 25. IX. 24. Quis igitur
 non videt, possibile etiam esse, ut hoc loco per vo-
 cem *עליו* intelligatur Messias, cujus characteres
 tam adcurate exprimit?

Id ulterius confirmat vox præcedens *עליו* apud e-
 um. Suffixum enim hujus particulæ ad DEum com-
 modius refertur, quam ad hominem patientem.
 Nam secus si esset, ita construi debuissent verba He-
 bræa, ut loco *עליו* comparuissent voces *על אר* &
 loco *לאר* pronomen *לו*, ut sensus esset: Si fuerit
 apud hominem ad indicandum ipsi. Jam vero ita
 sonant verba: Si fuerit apud eum, ad indicandum
 homini. Quis igitur non sentit, torsione & coacti-
 one opus esse, si *עליו* & *לאר* de eodem subjecto
 dici credantur. Non quidem ignoro, solenne esse
 Hebræis, ut loco pronominis relativi ipsum repetant
 nomen Substantivum, quod ejus est subjectum, sed
 id tantum fieri solet, cum idem immediate præce-
 dit, non item, cum jam relativum aliud intercessit,
 ut hic usu venisse vidimus. Nec facile exemplum
 contrarium ostendi posse putaverim. Hæc igitur par-
 ticula idem valet ac *לפניו*, quæ phrasîs Angelo in-
 tercessori optime convenit, quippe qui Es. LXIII.
 9. dicitur *מלאך לפניו* Angelus faciei ipsius, nempe
 Domini, seu Angelus, qui semper coram ipso adpa-
 ret, quod de legato intercessore verissime adfirma-
 tur, ut patet ex iis locis N. T. quæ modo adduxi-
 mus, & aliis, in quibus idem *ἐμφανιστὸς* Sospitatoris
 coram DEo Patre, propter nos peccatores, verbis sig-
 nifica-

nificantissimis describitur, qualia sunt plurima, in primis Ebr. II: 17. III: 1. Rom. IV: 25. 1. Joh II: 12. Marc. XVI: 19. alia.

§. III.

PEdem promovemus ad ea Angeli intercessoris prædicata, quæ probabilem reddunt sententiam, quam adstruendam suscepimus. Dicitur enim, non sine singulari emphasi, *אחד מני אלף* unus e mille, vel millenis præstantior, aut omnium excellentissimus. Tantum enim valet hæc formula, si vel maxime concesseris, esse locutionem tantum proverbialem, adeoque, ut monet cel. Schultens, *a*) eandem non nimis liceat premere. Nihil enim habet quod langvet, nihil quod subsidat infra dignitatem subjecti cui nos eandem censemus tribuendam. Si Elihuus nuncium intellexisset, vel humanum vel Angelicum, quid opus habuisset, tanto eum prædicato exornare? Si tantum, nomine DOMINI homini annunciare debuisset, quæ ille credere aut facere deberet, quæ eum coëgisset necessitas, ut exclusis reliquis inferioris ordinis & minoris dignationis, non nisi eum, qui summæ esset præstantiæ & maxima emineret excellentia, huic negotio præficeret. Num auctoritas præconii dependet a dignitate & auctoritate præconis? Nonne diaconus æque salutariter, æque efficaciter, potest fungi munere docendi, hortandi &c. ac ipse Episcopus? Et si Angelorum ministerio

a) In Comment. in Jobum & h, l.

nisterio uti vellet DEus, nonne æque feliciter demandatam sibi provinciam administrare posset horum minimus ac maximus? Veri igitur simile videtur, hac formula nullum alium indigitari Angelum, quam ipsum DEI Filium, qui tam augustum titulum sibi omnium rectissime vindicat. Is enim est *πρωτὸν κρείττων ἀγγέλων κ. τ. λ.* Ebr. I: 4, 5. 6. Sed forte non alienum fuerit, allatam formulam paulo curatius excutere, ut quid in sinu condat *ἐμφύσεως*, adhuc distinctius adpareat. Sunt enim, qui majorem ipsi virtutem tribuunt, quam ex ea elicere possunt, qui formulam proverbialem faciunt. Sic vox *אחר* in S. S. sapius valet *præcipuum*, *primarium*. Ratio hæc est, quod in lingua Hebræa *אחר* sæpe usurpetur pro *אשר*, quod *primum* notat, & primus esse solet præcipuus, quemadmodum etiam *unus* apud Latinos accipitur, cujus rei exempla suppeditat Fabri Thesaurus. Quod vero illud ipsum etiam usu veniat apud Hebræos, documento esse poterunt loca sequentia 2. Sam. XIII 13. ubi Thamar in malam partem dicit *אתה תהיה ואתה תהיה כמאחר הנבלים כישנאל* *Et tu eris tanquam præcipuus stultorum in Israël.* Dan. X. 13. *כינאל אחר השרים* *Michael præcipuus principum primariorum* cfr. I Reg. IV. 19. Psalm. XXVII. 4. *אלף* mille in sacris Pandectis sæpe numerum indefinitum vel maximam aliquam multitudinem denotat. v. g. Psalm. L. 10. *בהררי אלף* in montibus mille, h. e. innumeris cfr. Psalm. LXVIII. 18. Job. IX. 3. Exod. XX. 6. XXXIV. 7. Deut. I. 11. I. Sam. XVIII. 13.

XVIII: 17. Præcipue vero Psalm. LXXXIV: II. CXIX: 72. ubi D præfixum est eodem modo, quo in nostro oraculo. Quicumque hæc rite perpenderit, haud obscure perspiciet, valde insignem atque illustrem ab Elihuo indigitari legatum, qui propemodum alius esse nequeat, quam ipse Filius DEi unigenitus, qui Col. I. 15. dicitur $\text{πρωτότοκος πρὸς κτίστας}$, quod idem fere valet ac אחור מני - הלה . Nam vox אחור etiam pro כבוד adhiberi solet v. g. Gen. X. 25. XLIV: 28. Exod. XVII: 3. alia, quod quidem nomen itidem designare siveit quicquid in suo genere est summum. e c. Psalm. LXXXIX: 28. cfr. Job. XVIII: 13. Es. XIV: 30. Nec insolens est, ut similes formulæ in S. S. adhibeantur de optimo Salvatore, ad indicandum maximum pretium, quod sponsa ipsius, Ecclesia, tam dilectæ personæ statuit, qua de re videri poterit Cant. V. 10. ubi dicitur רגל מרכבה instar vexilli erectus, h. e. omnium eminentissimus, cfr. Ebr. VII: 26. ubi eodem sensu dicitur $\text{ὕψηλοτέρω τῶν ἄστρον}$ ipsis cælis excelsior atque sublimior.

§. IV.

HÆc fere fuerunt argumenta probabilia. Jam ratio instituti postulat, ut firmiores adducamus rationes, quæ veritatem nostræ sententiæ, ut speramus, extra aleam dubitationis sunt posituræ. Prius vero, quam eas in medium rite queamus producere, ipsumque nervum probandi recte ostendere valeamus, necesse fuerit paulo distinctius evolvere ipsum statum controversiæ, quæ Jobo cum Elihuo

B

interfit.

interfit. Inde enim adparebit scopus orationis, eoque cognito, determinatum significatum adipiscuntur verba, quæ vaga forte videri possint, si extra eundem seorsim considerentur. Si seriem totius discursus Elihui nostri adcuratius pensare velimus, haud obscure patebit, eum ita filum orationis contexere, ut cæcus sit oporteat, qui non animadvertat, Salvatorem generis humani hic exserto quasi digito monstrari. Tria vero momenta Jobo inculcare satagit Elihuus. 1mo, quo loco res hominis sint, antequam vera & viva fide adprehendat meritum Salvatoris. 2do. Quo pacto ille causam ejus coram tribunali judicis cœlestis peroret. 3tio. Quisnam sit fructus absolutionis & justificationis, quæ fide peragitur. Quod primum adtinet, satis perspicue docet, homines sua natura esse profundissime corruptos, ut nemo eorum in judicio divino consistere possit, nisi adsit, qui præstita satisfactione, reatum culpæ & poenæ, quem contraxerunt, deleat & tollat. Quamvis autem ita sint comparati omnes, tamen tam de sua innocentia, quam de Divina justitia perverfas atque absurdas fovere opiniones ostendit, antequam in schola crucis meliora fuerint edocti, ut qualis DEus, quales ipsi sint cognoscere, atque adgnoscerere possint. In primis hoc de illis adfirmat, qui reliquis probiores videntur, quippe quos contendit ante adprehensum fide servatorem tota vita, quantumvis videatur honesta, nihil aliud quam inanem virtutis speciem mentiri, & vanam innocentiae umbram sectari. His telis Jobum præcipue ferire velle

velle videtur, quem fiducia suæ integritatis fasci-
 natum judicat. Ex iis enim, quæ prioribus capi-
 tibus inter eum & ceteros ejus amicos disputata
 referuntur, concluderat, ipsum opinari quicquid ad-
 versi sibi accidisset, innocenti & immerenti accidisse,
 indeque factum putat, quod DEo increpanti & casti-
 ganti obmurmurasset, ipsique dicam injustitiæ imme-
 rito scribere sustinisset. Sequitur vero in his omni-
 bus eundem Doctrinæ tenorem, quem servavit David
 Ps. V: 11. X: 3, sqq. LIII: 4. LXII: 10. Pau-
 lus Rom: III: 4, 9, - - - 18. & Johannes I. Ep. 1: 8.
 qui omnes ex hoc capite reos peragunt æternæ
 damnationis, ut inde occasionem eo celerius &
 certius arripiant ad redemptorem, qui pro omnibus
 satisfecit, confugiendi. DEum vero sub schemate
 judicis pro throno sedentis, & modo, quo dixi-
 mus, de homine judicantis, depingit, ipsiusque
 judicia vera, certa & immutabilia pronunciat v. 14.
 Ipsum autem modum, quo DEus homines ad a-
 gnitionem peccatorum perducit, varium facit. Pri-
 mo loco nominat somnia nocturna, quo quidem
 nomine omnia genera revelationum divinarum,
 quæ istis temporibus *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως* fiebant
 Ebr. I: 1. intelligit v. 15, 16. Dein se DEum ait
 hanc institutionem obsignare seu confirmare per
 castigationes, v. 16. qua voce intellectos
 vult dolores & tremores conscientiæ, qui ho-
 mines instar vinculorum coërcent, ne in statum
 securitatis relabantur v. 17, 18. Præterea varii
 generis afflictiones peccatoribus a DEO immitti

adfirmat, ut adhuc fortius a cursu peccatorum deterreantur retineanturque v, 19, - - 24. Noverat scilicet vir sapiens, ita animo adfectos esse mortales, ut simplici institutioni minus attendant obtemperentque, nisi illis robur & pondus addant calamitates & adversitates, secundum illud Davidis Pf. XXXII. 3. כו החרשתי בלו עצמי בשאגתי כל-היום: Ne vero quis putet DEum, sic tractare miseros mortales, ex pura puta libidine torquendi & cruciandi, finem innuit, propter quem hæc omnia fiunt, nimirum, ut agnitis peccatis humilientur ac emendentur v. 17. ne extrema eos maneat perditio v. 18. Tandem effectum horum omnium indicat, qui is est, ut homo vera & viva cognitione sui imbutus de suis viribus plane desperet, & ex salutari hac desperatione occasionem habeat salutem quærendi in merito Salvatoris, qui unus & solus auxilii expertem & consilii inopem reparare & restituere potest,

§. V.

His ita præmissis, pergit Elihuus ad describendum processum absolutionis & justificationis per fidem in Messiam, quem hic Angelum, ob causas supra adductas, adpellat. Videamus vero, quomodo officia hujus legati divini describat, ut agnoscamus ipsum dulcissimum Salvatorem, sub his nominibus & characteribus latentem. Quid vero latentem dico, cum indicia adsint luculenta & manifesta,

nifesta. Res enim ipsa hoc eo certius probat, quo clarius constat, neminem præter Filium DEi posse juvare hominem, qui in tali rerum articulo, qualem nunc ex discursu Elihui exhibuimus, deprehensus fuerit. Neque enim prædicata, quæ hic Angelus gerit, in ullum alium simul sumpta, & cum omnibus circumstantiarum appendicibus, cadere possunt. Huic adsertioni fidem faciet evolutio notionum, quæ subsunt verbis commatis 23. quæ hætenus intacta reliquimus. Primum quidem dicitur esse *apud DEum* (§ II.) vel apparere ante faciem DEi, tanquam judicis cœlestis, *יגדל* ad annuncian- dum seu repræsentandum *ישי* suam justitiam, scilicet adquisitam & meritoriam. Recte igitur Coccejus a): hæc, inquit, est illa “*ἔξομολόγησις* con-“ fessio Salvatoris, de qua Matth. X: 32. *ὁμολογήσω*“ *ὅτι αὐτῷ* *ἔμπεσθαι τῷ πατρί* *μῆ* confitebor ipsum co-“ coram patre meo. Intercessor petit liberationem“ hominis ab exitio.“ Annunciat vero hanc suam justitiam *יגדל* pro homine, cujus vicarium & advocatum agit. Quis autem inter angelos est, qui suam habeat justitiam, quam & in salutem hominis cum effectu offerat DEo offenso & irato, si ab angelo increato discesseris. Sed, inquis, vox *ישי* ad DEum refertur. Verum nulla nos cogit necessitas, ut statuamus, suffixum hujus nominis respicere nomen remotius, cum adsit propinquius, cui melius convenit ipsa res, quæ nomine denotatur. Non nego, videri posse probabile, quod Elihuus

B 3

hic

a) in Comment. in Libr. Job, p. m. 180.

hic indigitatam voluerit justitiam DEi essentialem, quam Jobus in dubium vocasse videbatur; sed longe est probabilius, justitiam Filii DEi vicariam hic intelligi. Nam Angelus intercessor eam dicitur annunciare coram DEo, & talis certe advocati non est accusare, sed defendere, non exaggerare culpam rei, sed implorare misericordiam DEi, justitia sua interposita, quæ ipsi locum facere possit. Neque hic agitur de ulteriori convictione peccatoris, quippe quæ ad *ἀκμῆν* perducta judicari debet, cum homo sentit se in ultimo vitæ discrimine versari, secundum comma 22. Neque ad ipsum hominem sine contradictione referri potest vox *ישיר* sua justitia, quippe quam ipse satis vehementer denegaverat & impugnaverat Elihuus, nisi forte fingeretur ironia, quod, nulla cogente necessitate, inconcinne fieret. Multo minus ad Angelum creatum, aut hominem doctorem, referri poterit sæpius dicta vocula. Nam Angeli nihil justitiæ habent, quod cum aliis communicare possint, & homines ne tantum quidem, quantum ipsis sufficit, teste Davide, qui *fratrem a fratre redimi posse* diserte negat Ps. XLIX: 8. Sed erunt forte, qui vocem *לארם* a nobis paulo insolentius explicatam judicabunt, cum eam *pro homine*, seu in salutem hominis explicuerimus. Sed hi discant velim, nihil esse in lingua Hebræa frequentius, quam præfixam litteram *ל* cum verbis loquendi, quale hic est *הגיר*, hanc habere significationem. V. g. cum *רבו* Job. XIII: 7. Exod. IV: 16. *ררש* Jer. XXXVIII:

4. חַשְׁמֵל Mich. II: 6. פֶּה פִּתְּחָה Prov, XXXI: 8, לְנֹשֶׁת Prov. VI: 1 i). Vides itaque nullum alium angelum hic posse intelligi, quam eum, qui est maximus angelorum, & κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων Ebr. I: 4.

§. VI.

Sed plura adsunt prædicata, quæ adhuc fortius stringunt dissentientes. Sic ut consequentia quoque conferamus, talia multa habentur commate 24. Prius vero, quam ipsam deprecationis seu intercessionis formulam, quæ hic describitur, sub incudem revocaverimus, ex eaque fortissima elicuerimus argumenta, quæ sententiæ nostræ roborandæ inservient, verbum ייחנני breviter excutere volumus, utpote quod eidem quoque haud parum favet. Significat vero, miserum & afflictum tenerrima misericordia amplecti, ipsique, ex pura puta gratia, exhibere beneficia, quæ ipsi ad sui liberationem & servationem sunt necessaria. Quid vero aptius, quid verius tribui potest Salvatore optimo, qui solo & mero gratiæ adfectu, sine ullis meritis vel præcedaneis vel succedaneis, causam nostram coram tribunali iudicis cœlestis contendit atque perorat? Equidem non negaverim, reliquis DEi legatis etiam recte tribui adfectum commiserationis, sed simul tamen sentio, illum minus

a) Cfr. Hoffm. Erklar. des B. Hiob, cum Not. crit. Reiman. p. m. 843.

minus pleno sensu ipsis adscribi, eo quod a DEO sint missi, & quod ea, quæ faciunt, ex debito & officio faciant. Sed, inquires, notionem deprecandi huic verbo esse subjectam. Sit ita sane; verum ne sic quidem minuitur nostra sententia. Quis enim aut intensius aut efficacius hoc fungitur officio, quam ipse DEI Filius? Cfr. dicta § II. citata. Quid? quod hoc verbum cum verbo וְאֵין & dicat, copula ו connexum sit, adeoque eandem spectat personam, ad quam pertinent sequentia, quæ ut ex mox dicendis constabit, in nullum alium quadrant, quam in unum & solum Messiam. Succedit primum verbum ipsius formulæ deprecandi פְּרַעְוָהוּ, quod cum sit ἀπαξ λεγόμενον, aliquid habet obscuritatis, quod tamen partim ope contextus, partim ope dialectus Arabicæ, facile dispellitur. Significat vero *redemptionem* vel *liberationem captivi*, quæ fit soluto pretio, vel & substituta anima loco animæ, vita loco vitæ. En novum characterem unici mediatoris generis humani, qui animam & vitam posuit pro illo. Is enim est *bonus Pastor, qui vitam pro grege posuit*, Joh. X: 11. Is suo ipsius sanguine redemit ecclesiam Act. XX: 28. Quis vero reliquorum legatorum DEI, ex hoc fundamento, intercedere potest pro misero & afflicto? Sed dices forte, alium etiam legatum Domini pro miseris hominibus orare posse, vi meriti Salvatoris. Non prorsus negaverim. Exinde enim abunde constat, quod quoquo te verteris, Messiam in hoc oraculo amplecti cogaris. Hoc tamen moneo,
nulli,

nulli, nisi ipsi Archangelo JESU Christo, competere omnia criteria, quæ in hoc textu occurrunt, de angelo Intercessore. Ulterius de ipso hic dicitur, כפר מצאתי *inveni pretium redemptionis*. Hæ voces tantum habent ponderis, ut singularem mereantur attentionem. כפר proprie notat *teclorium*, a verbo כפר *teclorium induxit*. Significatu vero secundo, hoc nomine denotatur pretium, quo quis propitiatur, pœna redimatur, ira placeatur, gratia reconciliatur. Uti teclorio, vetus rei facies mutatur in aliam, ita placamento, reus in justum mutatur, culpa veluti obliterated. Tale quid innuitur Ef. I: 18. *Si peccata vestra fuerint sicut coccinea exalbescent* &c. Summa, quod intervenit ad culpam obliteratedam, id dicitur כפר a) Nec infrequens est, ut verba tegendi, ad significandum remissionem culpæ & poenæ in Lingva Hebræa adhibeantur, quod vel solum verbum כסה Pf. XXXII: 1. indicat. Sic & verbum מצאתי *inveni*, notatu dignissimam involvit circumstantiam, ad quam si paulo curatius attendere velimus, facile constabit, subjectum hujus prædicati esse ipsum Angelum Principem, Salvatorem in secula benedictum. Aliis legatis seu angelis, qui a DEO ad homines salutis causa mittuntur, ipsa *inventio* medii reconciliationis non competit, sed sola *annunciatio* inventi. *Invenire* enim hic significat, *suo ingenio aliquid excogitare, & sua opera producere*. Prædicatum quod hanc indolem, hunc valorem habet,

C

quis-

a) judice Coccejio l. c. §. V.

quisque, vel me non monente, haud obscure per-
 spicit, arguere personam infinitæ sapientiæ & po-
 tentiæ. Præterea insigne pondus nostræ sententiæ
 addit, quod ipse Paulus Ebr. IX: 12. Cfr. c. I: 3. hanc vo-
 cem de Christo adhibeat, luculento argumento, non
 inanem capere laborem, qui illum in hac sede recte
 quæri, & certo inveniri posse contendit. Tan-
 dem & id nobis mirifice favet, quod effectus,
 qui huic *εὐημερίᾳ*, commatibus sequentibus, adscri-
 buntur, tanti sint momenti, ut satis arguant *inven-
 torem*, angelis superiorem. Atque ita, quantum
 permisit angustia temporis, qua circumscripti fui-
 mus, sufficienter probatum dedimus, quis sit An-
 gelus Intercessor, quem tantis elogiis ornat
 Elihuus. Ipsi igitur, cum Patre &
 Spiritu S. sit gloria laus & honor,
 in secula seculorum!

